

dicens: *Disperde illos, ac diuide linguam eorum: quodq; sit eos in foueam corruptionis precipitatus, ita ut dierum suorum ne dimidium quidem absoluant, versu 23.*

OBS. 1.

Notauimus supra, quomodo inter precandum animus pij in angustijs constituti, fide auctiore facta corroboretur ac recreetur: hoc loco obseruandum venit, quid corroborata iam fides de Deo credat: nempe: quod sit auditorus precantis vocem, quod sit afflictum liberaturus & saluatorus, ex magnis licet & extremis periculis, vbi de anima periclitandum est, idq; impetu bellico multis irruentibus hostibus: deinde quod sit impios punitur ac perditurus, ita ut vix dimidio vitæ absoluto sint interituri. Sed vnde ista tam certò sibi ipsi pollicetur? *Exaudiet vocem meam, inquit, saluabit me. Redimet animam meam, affliget aduersarios, precipitabit eos in foueam corruptionis.* Quæ est horum certitudo? Nulla alia nisi fidei, & tamen certa. Neq; enim falsus est. Cognitio Dei fidei huius fundamentum est, quæ credit non apparentia, non visibilia, nullis rationibus firmata, sed ab vna Dei fide, bonitate, veritate ac potentia, pendentia. Verùm cur hæc credat, in sequentibus declarabit.

OBS. 2.

Deinde quærendum est, quomodo sentiat esse plagam Dei, quod dixit: *Non perducent dies suos ad dimidium: cum magis sit beneficium, si rectè expendatur, citò ex hac miseria liberari: & Deus aliquando suos ob eam causam hinc abripiat, ne malitia mutet intellectum ipsorum, ut est in libro Sapientia: Respondeo: In pijs, & miserè afflictis ita habet: quibus duplici nomine bonum est citò ex hac vita migrare, cum vt ex hac miseria liberentur, tum vt hinc ad Deum in veram quietem migrent. In impijs verò ac reprobis, bonorum oppressoribus, secus habet. Nam illis duplici nomine malum & infatum est citò excedere ex hac vita: primùm, quod ita priuantur suis delicijs & studijs carnis, in quibus sitam putant suam felicitatem. Deinde, quod ad æterna supplicia cum diuite Evangelico eo citius rapiuntur, æternam puniendi. Atq; ita sequitur tertium illud, quod in medio cursu impiorum conatum moriuntur imperfectis adhuc machinis ac dolis, quibus innoxios, circumuenire & opprimere fategerunt. iuxta illud: *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Huc scilicet respexit Propheta.*

Sapient. 4.

Lucæ, 16.

Psal. 145.

Tertium.

Assignat aliquot rationes, cur credat facturum Dominum, quæ fuerat tam pro se quàm contra hostes suos precatus, se videlicet saluatorum, hostes verò perditurum. Ponit autem aliquas in Deo, & aliquas in hostibus suis. *In Deo, cum vers. 19. dicit: Sedet ab initio. Selah. Et vers. 22. Non dat in æternum fluctuationem iusto.* Prædicat autem istis in Deo primùm: immutabilitatem, potentiam & constantiam, qui nec mutatus sit, nec sede pulsus, sed semper aduersariorum suorum victor declarauerit se esse Dominum, ad cuius nutum omnia necessariò gerantur. Hinc colligit idem illum facturum etiam in hac præsentis causa. Deinde eam in illo prædicat bonitatem, vt nequeat ferre sempiternam fluctuationem iusti, licet aliquandiu sinat illum iactari & affligi. Et ex hac bonitate Dei, quam certam in illo & constantem nouit, colligit illum hinc quoq; idem facturum. In hostibus verò suis reperit graues quoq; causas, vnde certò concludit, perituros breui. Reperit eos contemptores esse Dei, vers. 19. Deinde viros sanguinum: hoc est, oppressores pauperum & innoxiorum: idq; non aperta improbitate, sed qui recti per simulationem amicitia, qua bellum in corde latens, & iacula mortis, veluti melle quodam lethalem acerbiter obtegant, dum amici putantur, pestilentissimam inimicitiam gerant, & ad perdendum aspirent. Hoc est quod dicit: *Misit manus suas* (nam iterum loquitur de eo, cuius supra meminuit vers. 12. 13. 14.) *in amicos suos, prophanauit fœdus suum. Os eius mollius butyro, &c. Item: Viri sanguinum ac dolosi.* Tertio, vt oblationem illorum notet, dicit eos esse immutabiles, versu 19. Cum ergo Deus sit iustus, odio habens & vindicans omnem nominis sui contemptum, crudelitatem, innoxiorum oppressionem peruersam amicitia simulationem, deinde immutare nequeat, isti verò vicissim immutari non poterant: quid aliud credi poterat & colligi ex his causis, quàm breui improbos isti os vltione diuina perituros?

Quidam ista exponunt in plurali, & intelligunt de pacificis ac fœdere Dei.

OBS. 1.

Videmus hoc loco, exempli vice nobis præscripto, vnde sancti fidei suæ corroborationem & animorum refocillationem, in quibusuis afflictionibus petierint, nempe ex infallibili diuini nominis cognitione. Cognouerunt Deum esse omnipotentem, sapientem, omnia disponentem, iustum, bonum, misericordem, fidelem ac veracem, & si qua sunt in Deo huiusmodi alia. Ex horum certitudine & perpetua constantia facilè collegerunt, quid sperandum esset, quid non. In istis est exercitium pij hominis, non solùm vt in ijs exemplis, quæ habet sacra pagina, sed & in omni Mundi huius gubernatione obseruent istorum immutabilitatem. *Ego Deus, inquit, & non mutor. Qualis à seculo deprehensus est (deprehensus autem est, qualem se declarauit) talis deprehendetur perpetuò.*

Malach. 3.

OBS. 2.

vers. 19.

Deut. 4.

OBS. 3.

Quoniam non mutationes illis.] Notanda est hæc particula, vt discamus certissimum esse exitium futurum illis, qui impænitentes in malo perdurant, nec vllò pacto mutari sustinent, non minus, quàm si obstinato animo & inflexibili cursu videas aliquem vel in ignem, vel in profundam abyssum ferri. Tam enim non mutatur Deus ignis consumens, quàm istorum elementorum natura non mutatur. Deum non metuant.] Hoc quasi causa præcedenti subiectum esse apparet, vt ostendatur, cur improbi in malo immutabiliter perseuerent. Quia videlicet Deum non timent. Ergo vbi deprehenditur contemptus Dei, ibi non potest sperari resipiscencia. Vbi illa sperari non potest, ibi nihil aliud quàm vltio diuina expectari potest. Terreat hoc, & consoletur. Terreat, vt resipiscamus & mutemur, quandoquidem Deus non mutatur, ne pereamus: consoletur, quod hinc intelligere licet, hostes verbi, dum obstinationem induerunt, non tam esse veritatem oppressuros, quàm seipsos perdituros.

P S A L.